19

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BRENNAN KILBRIDE,

Hibernus,

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOCIUS.

"Edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coegerunt." CIC.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

GULIELMO STACK, M. D.

REG. COLL. MED. DUB. SOC.

MEDICINÆ THEORETICÆ

PROFESSORI,

ET

NOSOCOMIO PAT. DUNN, EQ. AUR.

MEDICO ORDINARIO;

HOC OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI

TESTIMONIUM

PEREXIGUE QUIDEM SED SINCERUM,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO.

JOANNE B. KILBRIDE Auctore.

PROŒMIUM.

AB omnibus, summos medicinæ honores petentibus, ut quædam ad rem medicam pertinentia scribant requiritur: pauca igitur de Rheumatismo disserere decrevi. Hunc morbum Theseos

meæ argumentum selegi, non quidem spe aliquid novi offerendi, sed propter frequentem in his regionibus accessionem. Conceditur inter gravissima esse omnium malorum quibus genus humanum tentatur.

DEFINITIO.

" MORBUS ab externa et plerumque evidente causa, pyrexia: dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores potius quam pedum vel manuum articulos infestans; calore externo auctus."

HISTORIA.

SATIS constat, naturam hujus morbi non bene cognitam fuisse; antiquis namque *affectiones* partium externarum, nomine Arthritidem sine dis-

crimine nominaverunt: Verisimile tamen est hunc morbum iis sese ostendisse; sed rarius fortasse quam in his nostris temporibus; et ob hanc causam, attentionem medicorum minus sibi convertisse. Utcunque tamen hæc sese habent, BALLONIUM primum esse legimus, qui hunc morbum ab omnibus aliis separaverit et discreverit, atque tractandi methodum docuerit.

Rheumatismus incolas terrarum septentrionalium magis invadit vexatque, quam qui solo calido fruuntur; sed forsitan nulla orbis terrarum plaga penitus immunis existit: multo autem frequentius in illis regionibus quæ subitus atque frequentibus cœli vicissitudinibus, sunt obnoxiæ, observari solet. Autumno et vere præcipue aggreditur; hieme rarius, æstate vix unquam apparet: sed finibus positis non circumscribere liceat, quoniam Jovis vicissitudines omnibus anni tempestatibus ortum ei dabunt.

Pyrexia semper hunc morbum comitatur; aliquando dolores antecedit; sæpius tamen æger Rheumatismi primo accessu nonnullos dolores prius sensit, modicos vagosque, quam febris ulla indicia apparent: quum res ita sese habet, leniore observatum fuit progressu subesse; sed si pyrexiæ contra symptomata se primum ostendunt, haud raro languore et lassitudine incipit; at brevi, morbo jam crescente, ægrotus frigoris sensum conqueritur, quem paulo post sequitur stadium calidum; deinde dolores vagos in partibus corporis diversis sentit. Articuli majores plerumque afficiuntur; his alia febris symptomata, calor auctus, sitis, anxietas, et præcipue pulsus frequens et plenus, superveniunt. Dolores nunquam eadem parte fixi perstant, sed vagi ab alia ad aliam partem transeunt: etiam locus antea affectus nunquam existit immunis ab impetu secundo. Dolores calore lecti et exacerbatione febrili, noctu multo vehementiores redduntur, æger seipsum movere nequit, et ab alie-

nis tangi graviter horret; articuli quando infestantur et rubore atque tumore afficiuntur. Gravitas morbi diminuitur, urina subrubro colore tincta est, sedimentum tamen nullum subsidet; sed morbo persistente, et pyrexia vix multum remissa, sedimentum deponit; raro tamen ægroti dolores leniri vel morbo finem poni observatum fuit.

Sic Rheumatismus progressum diu observat; sed de hoc nil certum: nam hujus morbi cursus variat in diversis exemplis. Morbus nunc descriptus ARTHRODYNIA vocatur: huic speciei medici appellationes diversas dedere; quum lumbos vexat, Lumbago vocatur; si coxas invadit, Sciaticam nominaverunt.

HUJUS MORBI CAUSÆ

SOLENT in Prædisponentes et Excitantes dividi. Inter causas Prædisponentes diathesis phlo-

gistica primum locum obtinet; de cujus existentia a quibusdam dubitatur: in multis tamen mortalibus, a medicis conceditur quæ hujusmodi morbis aptiores reddit; dum alii, cæteris paribus, intacti abeunt: sic a GREGORIO docto hæc conditio definitur, "Est illa quæ corpus tantum morbo opportunum reddit scilicet, ut admota causa excitante in morbum incidat." Hanc possident ii qui sanguineo corporis habitu plenoque præditi sunt, qui victu pleniore utuntur, qui vitam otiosam transeunt; etiamque omnia quæ vires debilitant aut relaxant huic prædisponunt. Nimirum morbi prægressi, exinanitiones immodicæ, usus balnei calidi nimis frequens; postremo, quodcunque corpus actioni causarum nocentium minus aptum resistere reddit. Homines impetui Rheumatismi a pubertate ad annum trigesimum quartum procliviores sunt: juniores vel seniores ejus accessionibus rarius patent. Temperies nimis frigida, præcipue humiditate conjuncta, pro causa excitante maxime crebra ha-

betur. Sæpe accidit, ut subita corporis refrigeratio paroxysmum arthriticum inferat; et multa exempla sunt, ubi frigus pedibus applicatum, violentissimos ventriculi dolores excitavit; nec alia desunt exempla, ubi tali imprudentia mors ipsa subito est inducta. Effectus perniciosus frigoris in corpus humanum variis rebus adjuvatur; sic cum humiditate conjungitur, actio ejus multum augetur.

DIAGNOSIS.

Podagra, Lues Venerea et Pneumonia, morbi sunt, cum quibus Rheumatismus Acutus confundi potest; quibus in rebus igitur a se invicem discrepent exponere necesse est. Plurima signa communia sunt Rheumatismo et Podagræ; adeo ut sæpe difficile sit alterum ab altero dignoscere: id plerumque fieri potest, partes affectas, et mor-

bi reditus, attente observando. Morbum, de quo nunc dicimus, patet ab externa causa oriri, et præsertim majores articulos invadere; sed Podagra e causis multum diversis oritur, nempe labe hæreditaria; irritabilitate generis nervosi maxima, cum debilitate conjuncta; habitu intemperantia priore et ætate provectiore conquassata; articulos minores quoque infestat, magis fixa est; uni articulo (ut pedis pollici) sæpe cohibetur. Podagra haud sæpe ante trigesimum quintum annum impetum facit; alter vero juniores et validiores potius vexat; robusti crassique, et qui post vitam in multis negotiis contritam, cum divitiis suis e mundo se abducunt, et vino, luxui otioque seipsos subito tradunt; cum his equidem multo potius habitare vult Podagra, quam pauperibus, et aliis qui labore gravi et victu modico exercentur. Rheumatismus quoque ab cœli vicibus frequentissime excitatur. Podagra vix unquam ea de causa pendere videtur. Sed præter signa jam enumerata, alia sunt certiora, quæ

podagram venturam prædicunt. Spasmi musculorum artuum, ægrotaturum per paucos dies infestant; dolores neque tam diffusi nec tam mutabiles sunt; et præeunt plerumque ventriculi affectiones insolitæ, sicut flatus, ructus, anorexia, et alia dyspepsiæ signa.

Rheumatismus facile discernitur ab Lue Venerea, num olim hoc morbo affectus fuerit, ægrum accurate interrogando: ex situ quoque medicus discrimen obtinebit; nam Syphilis, easdem sedes ac Rheumatismus vix unquam occupat: plerumque signa in mollioribus partibus relinquit, priusquam ossa aggreditur; nec non dolores syphilitici altius fixi perstant, neque pressura aucti ut in Rheumatismo. In ossibus durissimis, ut in tibia, femore, et osse humeri, seipsos stabiliunt: maculæ quoque per cutem sparsæ, colorem cupri referentes, Syphilin plane demonstrant.

Morbus noster ab Pneumonia ita distinguitur: primo, dolor musculorum inter costas externus est; qui plurimum augetur, quum truncus corporis sinistrorsum aut dextrorsum inclinatur: respiratio facilior, et tussis aut nulla, aut minor quam in pneumonia fieri solet. Symptomata ac medendi ratio tam multum inter se discrepant, ut facile etiam ab imperitis internosci possint.

PROGNOSIS.

Experientia hunc morbum raro mortiferum esse probavit: Prognosis igitur plerumque erit fausta: Rheumatismum tamen interdum esse lethalem compertum est: hoc malum quoque in Paralysin, sæpius in Arthrodyniam degenerare, et præcipue si ægrotus annis provectus est; sed talis exitus vix aut ne vix quidem timendus, quum hominem ætate florentem nec alioquin morbidum aggreditur. Rheumatismus nun-

quam in gangrænam aut scirrhum desinit, sed præcipue resolutione finitur; sic ab aliis Phlegmasiis differt.

Aliquando humoris gelatinosi in tendinum vaginas, procreat effusionem; qui plerumque iterum absorbetur, et rarissime scalpelli usum postulat. Tumores illi diu manentes in ulcera degeneravere, quæ haud facile sanationem passa sunt; vel si tumor non exscindetur, liquor effusus, parte tenuiore absorpta, indurescit, et artus rigidus et debilis fit.

RATIO MEDENDI.

Nunc tantum morbum medendi consilia, consideranda restant. In Rheumatismo Acuto regimen antiphlogisticum indicatur, præcipue venæsectio; nam sanguinis detractio citissima quantitatem fluidorum circulantium diminuit, etiam-

que quam maturissime adhiberi debet. Nam, sicuti bene medicis cognitum est, quando sanguis ineunte morbo copiose mittitur, quantitatem ejus multo minorem per mali decursum elicere necessarium erit, quam si prima detractio magis modica, et ex intervallis longioribus iterata, fuisset: repetenda tamen est quamdiu pulsus durus, plenus et frequens erit, vel dolorum severitas ægrum torquebit: minime autem venæsectio ultra modum urgenda; sed in animo semper habendum, evacuationes nimis copiosas, debilitatem et exinde curationem tardam induxisse: melius erit missiones sanguinis topicas tentare; et hirudines vel cucurbitulæ cruentæ, hoc proposito, partibus affectis quam proxime applicandæ, et pro re nata repetendæ sunt. Regimen antiphlogisticum quoque constat in cibum animalem sedulo vitando; liquores spirituosi et fermentati nequaquam concedendi, sunt, Purgantia lenia ex salibus neutralibus præparata danda sunt: cum his Calomelas et Opium statim post

venæsectionem adhiberi debent, ad levissimam salivationem excitandam: opinor opium in hujusmodi formulam intrare licet in proportione grani unius ad grana sex vel octo calomelanos; et hujus pulveris grana quinque vel decem pro dose dantur, donec ejus actio specifica observata fuerit. Quando urget sitis, acida vegetabilia, liquoribus diluentibus mista, multum juvant; sic Super-Carbonas Sodæ acido citrico saturatus per effervescendum, liberaliter sumptus.

Quum pyrexia his modis ex toto amota vel saltem minuta fuerit, medicamenta quæ secundum consilium absolvunt, medico sese offerunt: hæc sunt quæ sudorem cient, et eo modo spasmum removent: remedium usitatum ad sudorem excitandam est pulvis Ipec. c̄ opio, et rite omnibus aliis sudorificis anteponendus: hujus pulveris grana decem tertia quaque hora adhibenda sunt, ad tertiam vel quartam vicem repetenda; sudore jam effuso, potiones large bibendæ

tepidæ; si sudor copiosus ac universus est, ut continuetur per horas viginti quatuor vel diutius, secundum symptomatum rationem, necesse erit. Variæ Antimonii præparationes quoque adhibentur; harum optimus est Tartras; qui in dosibus quæ nauseam inducunt exhiberi potest; in parvis enim dosibus, humorum impetum ad superficiem facit, vel ad intestina transit, et alvum leniter ducit. De usu Colchici autumnalis, remedii nuper multum et in Podagra ac in Rheumatismo laudatur, mentionem me facere oportet. Colchicum in forma Tincturæ exhibetur, quæ paratur macerando uncias duas bulbi radicis recentis in unciis quatuor alcoholis diluti; hujus tincturæ drachma dimidia ad drachmam pro dose datur, mane et vespere repetenda, donec febris et dolores cessaverint. Nunc debilitas sola restat, proclivitatemque ad Arthrodyniam relinquit. Tonica igitur medicamenta indicantur, et Sulphas Quinæ magno cum fructu adhiberi potest: quando Rheumatismus acutus in Chronicum trans-

iturus esse, videtur, Tinctura Hyosciami nigri, cum tonicis conjuncta, summo cum fructu adhiberi potest. Oleum Camphoratum vel Spiritus Camphoræ, partibus magis vexatis haud parum prodest, doloribusque vagis maxime utilis est. Sed fixi stabilesque dolores epispasticis, unguento antimonii tartarizati, et talibus, curari postulant.

FINIS.